

Pf. 60. Exaudi Deus deprecationem meam, intende orationi. Gratiarum actio Judæorum, cum iter Jerusalem suscepturi essent.

Pf. 62. Deus Deus meus, ad te de luce vigilo. Captivi in itinere Jerusalem, ardorem visendæ patriæ ac Templi Domini testantur.

Pf. 123. Nisi quia Dominus erat in nobis. Canticum Judæorum captivorum dum iter inirent.

Pf. 32. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Gratiarum actio Judæorum captivitate solutâ.

Pf. 86. Fundamenta ejus in montibus Sanctis. Elogium Jerusalem per filios Core paulo post regressum in patriam.

Pf. 84. Benedixisti, Domine, terram tuam. Gratiarum actio pro reditu in patriam.

Pf. 45. Deus noster refugium & virtus. Ita canebant filii Core in secundi Templi dedicatione.

Pf. 47. Magnus Dominus & laudabilis nimis. Continuatio præcedentis. Gratiarum actio de pace Israel concessâ.

Pf. 95. Cantate Domino canticum novum . . . omnis terra. Ita in dedicatione secundi Templi filii Moysis cantabant.

Pf. 96. Dominus regnavit, exultet terra. Gratiarum actio pro Judæorum libertate. Continuatio præcedentis.

Pf. 97. Cantate Domino canticum novum, quia mirabilia. In dedicatione secundi Templi filii Moysis cantabant. Continuatio præcedentis.

Pf. 98. Dominus regnavit, irascantur populi. Eidem cæremonia per eosdem Auctores.

Pf. 99. Jubilate Deo omnis terra, servite Domino. Idem in eadem dedicatione.

Pf. 101. Domine exaudi orationem meam . . . non avertas faciem tuam. Babylonica captivitatis narratio. Gratiarum actiones Judæorum pro libertate.

Pf. 102. Benedic anima mea Domino. Continuatio præcedentis.

Pf. 103. Benedic anima mea Domino: Domine Deus meus. Idem.

Pf. 104. Confitemini Domino & invocate nomen ejus. Gratiarum actio in reditu à captivitate.

Pf. 105. Confitemini Domino, quoniam bonus . . . Quis loquetur potentias Domini? Idem. Quæ pro Israele tam in Ægypto quam in Deserto Deus operatus est.

Pf. 106. Confitemini Domino, quoniam bonus . . . Dicant qui redempti sunt à Domino &c. Descriptio poetica malorum, quæ in captivitate tolerata sunt. Continuatio præcedentis.

Pf. 107. Paratum cor meum, Deus. Judæi à captivitate soluti pro fratribus orant adhuc trans Euphratem manentibus.

Pf. 110. Confitebor tibi Domine in toto corde meo in consilio iustorum. Gratiarum actio Judæorum paulo post liberationem.

Pf. 111. Beatus vir qui timet Dominum. Continuatio præcedentis.

Pf. 112. Laudate pueri Dominum. Gratiarum actio pro reditu à captivitate.

Pf. 113. In exitu Israel de Ægypto, do-

mus Jacob de populo barbaro. Idem.

Pf. 114. Dilexi quoniam exaudivit Dominus. Continuatio præcedentis.

Pf. 115. Credidi propter quod locutus sum; ego autem humiliatus sum nimis. Idem.

Pf. 116. Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi. Idem.

Pf. 125. In convertendo Dominus captivitatem Sion. Judæi, captivitate solutâ, ut reducat fratres qui in dispersione erant, Deum rogant.

Pf. 132. Ecce quàm bonum, & quàm jucundum. Concordia Sacerdotum & Levitarum in Templo, paulo post reditum à captivitate.

Pf. 133. Ecce nunc benedicite Dominum. Exhortatio vigilandi & in Templo orandi, Sacerdotibus, & Levitis post solutam captivitatem. Continuatio præcedentis.

Pf. 134. Laudate nomen Domini: laudate servi Domini. Eiusdem argumenti.

Pf. 135. Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in æternum. Continuatio ejusdem.

Pf. 136. Super flumina Babylonis. Levi tæ à Babylone reduces narrat, rogatos se à Babyloniis, ut musicam Templi cantarent.

Pf. 148. Laudate Dominum de Cælis. Gratiarum actio Judæorum post solutam captivitatem.

Pf. 149. Cantate Domino canticum novum, laus ejus in Ecclesia Sanctorum. Idem. Omnes populi laudibus perfolvendis Deo convocantur.

Pf. 150. Laudate Dominum in Sanctis ejus. Continuatio præcedentis.

Pf. 145. Lauda anima mea Dominum. Canticum Aggei, & Zachariae post Edificii Cyri revocationem, quo edificandi Templum, & mœnia Jerusalem copia facta erat. Psalmus consolationis.

Pf. 146. Laudate Dominum, quoniam bonus est psalmus. Gratiarum actio illorum Prophetarum post longam sterilitatem, de qua Aggæus.

Pf. 147. Lauda Jerusalem Dominum. Continuatio præcedentis pro dedicatione mœnium Jerusalem.

Pf. 58. Eripe me de inimicis meis, Deus meus. Eadem facili occasione. 2. Esdr. 4. &c.

Pf. 64. Te decet hymnus, Deus, in Sion. Canticum Aggei, & Zachariae, postquam Dominus pluviam per Aggæum prænuñciatam misit, & cum reparationis Templi opus primò susciperetur. Vide Pf. 146.

Pf. 65. Jubilate Deo omnis terra, psalmum dicite nomini. Continuatio Psalmi præcedentis.

Pf. 66. Deus miseretur nostri & benedicat nobis, illuminet. Idem.

Pf. 117. Confitemini Domino quoniam bonus . . . Dicat nunc Israel. Canticum victoriæ post obitum Cambysis, five in dedicatione mœnium Jerusalem per Nehemiam.

Pf. 124. Qui confidunt in Domino sicut mons Sion. Judæi se invicem hortantur ut fortiter resistant Sanaballat, Tobia, Ammonitis, cæterisque adversariis.

Pf. 126. Nisi Dominus adificaverit domum, Po-

Populum confirmat, ut strenuam operam ædificandis mœnibus Jerusalem impendant; se verò totos Domino committant.

Pf. 127. Beati omnes qui timent Dominum. Exhortatio ad timorem Dei. Continuatio præcedentis.

Pf. 128. Sæpe expugnaverunt me à juven-

tute mea. Narratio pacis, felicitatis & gaudii Judæorum post captivitatem sub Dario filio Hytaspis.

Pf. 137. Confitebor tibi Domine in toto corde meo . . . in conspectu Angelorum &c. Eiusdem argumenti. Gratiarum actio pro ea, qua fruuntur, pace.

### IN PROVERBIA SALOMONIS PROLEGOMENON.

**O**Mnium, quotquot unquam scripta fuerint, Operum elegantissimum ac majoris momenti Proverbia Salomonis censenda esse arbitror; continet enim Liber thesaurum omnem Divinæ illius sapientiæ, qua excimus ille Scriptor, & Sapientiæ veluti Sacrarium affatim ditabatur. Ipse de se ultro fatetur, Lucubrationes illas fructum esse & consummatæ prudentiæ suæ, & altissimarum meditationum, pluraque se eum investigasse tum assiduo studendi labore didicisse, atequam ad scribendas Parabolas animum, manumque conferret (2). Manifestum est, ait S. Hieronymus in Eccle. 12. 9. Proverbiorum Librum non, ut simplices arbitrantur, patentia habere præcepta, sed quasi in terra aurum. Hinc excellentiæ quadam appellatione apud veteres Patres Panaretos nomine appellatur, ac si diceretur summa totius moralis facultatis & ad virtutes omnes institutio. Eo titulo etiam inscribuntur similis argumenti Libri, Sapientiæ nempe & Ecclesiastici.

Proverbiorum nomen aliter quàm vulgari sensu hic usurpandum est; designat enim sententias, axiomata, & lectiones aliquas breves ad mores informandos aptas, & in sententiæ morem vibratas. Parabole, quo titulo à Græcis Liber inscribitur, satis consonat Hebræo Misse, quadrat autem admodum cum saniori sententiarum ejus Libri parte, parabolico & figurato stilo propositâ. Similitudines autem suas Author plerumque derivat à rebus ad manum & naturalibus; quibus solidas & maxime utiles Lectionibus institutiones accommodat. Profectò moralia documenta tum maxime in spiritum facilius influunt, cum figurarum velamentis adumbrata, quàm cum nudè proposita traduntur.

Eandem methodum Veteres sectati, nunquam fermè dogmata sua nisi sub figuris proposuerunt. Obtinebat id maxime inter Pythagoricos, qui enigmatico sermone ceu vernaculo utebantur (b). Idem fermè & à Sacerdotibus Ægyptiis, sicut & Gymnosophistis Indorum, & Druidis Gallorum præstitum (c). Eundem etiam Orientalium morem primi Græciæ Sapientes adoptaverunt. Disert. Calment. Tom. I.

run, quos inter Cleobulus, ejus filia Cleobulina, ænigmatibus suis & gryphis (eo etenim nomine designabantur breves quædam & vibrata sententiæ in conviviis maxime familiares) per totam Græciam claruerunt. Cleobulus enim, auctore Dionogene Laertio, scripsit ad 3000. carmina, & Gryphos; & Cleobulinam carmina pariter ænigmatica scripsisse, eodem teste compertum est. Nihil ab earum Lucubrationum genere alienum, non religio, non politica, non moralis, non œconomica, non ludicra etiam quandoque. Cephisodotus Iocristis auditor (d) vitio vertit Aristoteli, quòd vetera proverbia colligenda neglexisset. Tandem Sanctus Clemens Alexandrinus non semel testatur (e), hanc docendi rationem breviorē esse, graviorē, & vetustissimam, facilem etiam tutamque, utpote quæ omnium captui maxime congruat, memoriæ facilius, cum brevis sit & aperta, mandetur. Quare nullus hominum status ad vitæ & morum suorum rationem ducendam hisce doctrinis non juvatur.

Salomonis ætate Parabolarum & ænigmatum studium potissima erat Sapientum virorum occupatio: Audiens Sapiens sapientior erit, & intelligens gubernacula possidebit. Animadvertet parabolam & interpretationem. verba Sapientum, & ænigmata eorum (f). Author Eccli. 39. 1. 2. &c. Sapientiam omnium Antiquorum exquiret Sapiens, & in Prophetis vacabit. Narrationem virorum nominatorum conservabit, & in versutias parabolarum simul introibit. Occulta proverbiorum exquiret, & in absconditis parabolarum conversabitur. In medio Magnatorum ministrabit, & in conspectu Præsidis apparebit. In terram alienigenarum gentium pertransiet, bona enim & mala in hominibus tentabit. Eo studii genere occupabantur sapientissimi illi viri. Regina Saba ab ultimis terræ finibus Regem Salomonem consultura Jerusalem venit (g). Hiram Rex Tyri (h), qui referente Menandro, & Dione, literarum consuetudine cum Salomone familiariter egit, propositis ænigmatibus sapientiam illius tentavit, iidemque ab eodem Rege provocatus aptas interpretationes reponerat. Salomon, quod Patres etiam animad-

d Athen. lib. 2. cap. 17.

e Vide lib. 1. Strom. pag. 299. & lib. 1. initio & lib. 6. pag. 677.

f Prov. 1. 6. 7.

g 3. Reg. 10. 1. & Matt. 12. 42. Joseph. lib. 8. cap. 2. Antiquit. h Joseph. Antiquit. lib. 8. cap. 2.

a Eccl. 12. 9. Cum esset sapientissimus Ecclesiastes docuit populum, & narravit quæ fecerat; & investigans composuit parabolas multas.

b Vide Dion. Laert. lib. 8.

c Clemens Alexandr. lib. 6. & Laert. lib. 1.



i Theodoret. in Cant. Præfat. Hieron. in Eccl. 1.1. Orig. Prolog. in Cant. Basil. hom. 1. in Prov. Ambros. in Ps. 36. &c.

verisse constat (i), in tribus, qui ex ipso super sunt, Libris aptas singulis hominum statibus institutiones præscribit. Proverbia simplicium & tyronum in virtute capti accommodantur. Adolescentibus inscribuntur, & quem Salomon instituit discipulum, eodem sæpe nomine compellat. Ecclesiastes virum instruit, rerum hujus mundi vanitatem demonstrans. Cantica perfectas jam animas, quæ de carne, & sanguine nihil, omnia verò de spiritu sapiant. Primum Opus ferè respondet Ethicæ Philosophorum, id est scientiæ morum, secundum Physicæ, id est scientiæ naturæ, tertium Logicæ i. e. scientiæ rationis perscrutandæ; sive juxta Teodoretum, tota Salomonis doctrina tribus veluti gradibus constat, morali, naturali, & mystico. S. Isidorus Pelusiota lib. 4. Ep. 40. tres illos Libros tribus Templi partibus comparat; Proverbia atrii exterioris Israelitis omnibus patens loco sunt; Ecclesiastes cum Sancto conferendus, quem locum velamentis præ foribus oppansa prophanonum oculis abscondunt, neque adire quenquam nisi Sacerdotes initiatos fas est. Canticum Canticorum Sanctuarium, sive Sanctum Sanctorum refert, unde exclusi omnes, etiam Sacerdotes, unusque semel in anno admittitur Antistes supremus, nec nisi prius variis ritibus & lustrationibus expiatus. Omnes ad Proverbiorum studium invitantur, rari ad Ecclesiastem, rarissimi penetrantia Cantici Canticorum pervadunt.

Omnium conditioni aptam vivendi normam Proverbia statuunt, Regibus, Aulicis, mundi commerciis occupatis itemque ab omni commercio secretis, heris, famulis, viris, uxoribus. Regula in eo Libro moralis, politicæ, & economicæ. Hortamenta quandoque pietatis, interdum decoris, utilitatis, amoris, timoris, & naturæ insitæ charitatis. Potissima Authoris cura, eò tendit, ut grandem aliquam Numinis ideam & judiciorum ipsius metum ingeneret; tum ardens in virtutem & sapientiam amor incenditur, cujus & virtutis, & sapientie elegantes sanè imagines, sæpissimè depingit. Delineat etiam injustitiam, impietatem, licentiam, inertiam, imprudentiam, & ita delineat, ut earum horrore omnes qui sanæ suæ & decoris aliquo studio tenentur, maximè arceat. Cum verò nihil aquè ab amore sapientie, & bonorum operum exercitio homines, & maximè adolescentes, abducat, quàm crapula & laxatum in voluptates frænum, id sibi potissimum suscipit Author, ut discipulum suum, ne voluptatum illecebris, & laqueis mulierularum capiatur, cautum efficiat. Uno verbo, pulcherrima ibi morum documenta ad omnes vitæ status traduntur, tantâ varietate, ut ne unus quidem Lectorum vacuus discedat.

k Prov. 25. 1.

Scriptum à Salomone Opus vulgo creditur, cum ejus nomen in fronte Libri apparens, in contextu etiam recurrat [k]. Conveniunt eà in re Synagoga pariter & Ecclesia. Fuerunt identidem tractu temporis Critici, qui eà de re ambigendum sibi arbitrentur; quod mirari non subit in

tanta Scriptorum copia, & eò, quo incitantur, pruritu, ut opinionum novitate singularitatem affectent. Collectas eo Opere eximias, quæ apud Judæos ferrentur, sententias Grotius autumavit [l]; collectas autem jussu Salomonis & vetustissimis quæ Poetis quæ Historicis, quemadmodum recentiori ætate Imperatoris Constantinopolitani non dissimili exemplo singularia quæque optimorum Authorum in unum colligenda jusserunt. Sub Ezechia verò, addit (m), hæc Collectioni additamentum aliquod factum est ex iis sententiis, quæ à Sapientibus Judæorum prolata utilissimæ videbantur. Eà verò confidentiâ hæc narrat Grotius, ut nomina ipsa Collectorum adnotet, nempe Eliaim, Sobna & Joake, quorum meminit 4. Reg. 18. 26. Porro Scriptor iste Rabbiorum fidem sublestat planè, & nullius ponderis secutus est; itaque verbo affirmanti verbo omnia, quoadusque dicti sui certiora documenta non exhibeat, negabimus. Præstat enim scitari Ecclesiæ, Patrum & Interpretum auctoritatem, uno consensu Salomoni unico omnium Proverbiorum Authori Opus vindicandum, duobus tantum exceptis posterioribus capitibus, scilicet Agur, & Lamueli tribuendis. Porro Librum istum portionem esse 3000. Parabolarum, quas ab eodem Rege dictatas novimus (n), ne ambigimus quidem.

Ad Parabolarum ordinem quod attinet, eandem manere, quæ olim sub Salomone, dispositionem aliqui opinantur. Fragmenta quedam amplioris ejusdem Collectionis superesse malunt alii, quorum opinioni maximè favet Textus Operis, in quo variæ sparsim occurrunt inscriptiones. Continuata rerum series ab exordio usque ad caput 10. singularis veluti Præfationis Operi præfixæ loco habenda est (o). Exinde priori titulo, Parabola Salomonis, repetito, novo stilo Liber incipit. Sunt autem breves quædam sententiæ, nullâ inter se rerum connexionem junctæ, antithesis pleuræque, & alienas historias spectantibus verbis, ac tandem similitudinibus propositæ: singulæ autem sensum præferunt absolutum & planè ab alia separatum. Hæc lucubrationis ratio usque ad cap. 22. 17. obtinet. Excipit deinde alius rerum tenor, stilo magis prioribus novem capitibus uniformi. In cap. 24. 23. nova hæc inscriptio promittitur: Hæc quoque Sapientibus, i. e. pro Sapientibus vel Sapientum dicta, tum concisus & sententiosus stilus uti prius in cap. 10. &c. recurrit. Cap. 25. novam collectionem his verbis exorditur: Hæc quoque Parabola Salomonis, quas transfulerunt viri Ezechia Regis Juda. Desinit eà rerum series in cap. 30. in cujus exordio hæc legas: Verba Agur filii Jake. (ita Hebr.) Tandem cap. 31. inscribitur: Verba Lamuelis Regis.

Ex quibus omnibus satis demonstratum arbitror, Proverbiorum collectionem, qualis modò extat, è variis Salomonis sententiis adornatam nec unius esse Authoris nec temporis; redegitte verò illas in unum corpus Efdram sive alium quemcumque, qui Libros Sa-

l Grot. in 3. Reg. 4. 32. & Præfat. in Proverb.

m Grot. ad Prover. 24. 23.

n 3. Reg. 4. 32.

o Mercer. Grot. Munst. alii passim.

Sacros recensendos, & in eum statum, quem modò tenent, redigendos post captivitatem Babylonicam suscepit. Ex quo data Interpretibus quibusdam occasio, totum Opus in tres Libros distribuendi. Priorem librum definit Baynus intra decimum caput; decimum, & deinceps usque ad cap. 23. 17. secundum constituit; tertium reliqua occupant.

Aliud argumentum, quod collectum plurimum Authorum curâ Opus illud demonstrat, crebra est versusum & sententiarum repetitio (p). Vix enim persuademur, singularum Authorum non intermissè scribentem eadem sæpius repetere, veluti priorum oblitum, suscepisse. Nihil moror hæc sententias in Textu quidem Septuaginta & Vulgatæ legendas, quæ in Hebræo desiderantur; 12. vel 13. similes leguntur Latino Textui post S. Hieronymum adjectæ (q). R. Kimchi Collectionem illam Isaiæ auctori tribuendam censuit; alii Helcizæ, & Sobnæ Præfecturam sub Ezechia agentibus. Et sanè Ezechiam singulares Salomonis ac fortè etiam Sapientum aliorum virorum sententias colligendas mandasse constat; quo verò tempore, quomodo, quo fine, quid tandem Opus illud contineret, an hodie superfit, incerta omnia, S. Hyppolitus, ab Anastasio Nicæno (r) laudatus, tradit, sub Rege Ezechia laboratum à viris lectissimis quibusdam Operibus Salomonis excerptendis, relictis iis quæ minus utilia, & minus formandis moribus populisque instituendis esse arbitrantur. È Canticis igitur unum Canticum Canticorum selectum est; è Parabolis illæ discretæ, quæ in hac Collectione leguntur. Paria ferè tradit Eusebius Cæsariensis ab eodem Scriptorum laudatus; autumat enim sub Ezechia laboratum fuisse, ut selectissimis quibusque è Libris Salomonis excerptis, cætera omnia supprimerentur; ne scilicet populus, quod jam fieri à multis contigerat, Volumina illa studiosis pro remediis affectu valetudinis quaerendis consulens, ad impetrandam à Deo opem minus se promptè conferret. Porro quæ Ezechia curante reservata sunt, inquit illi, hæc ad nostram usque ætatem manserunt. In eandem ferè sententiam concedunt Rabbini, Ezechia tres illos Libros collectos tribuentes (s), ac vicissim ab illo plura Salomonis volumina suppressa asserentes.

p Vide cap. 14. 2. 16. 25. Item cap. 11. 2. & 16. 18. & 18. 12. Item cap. 12. 14. & 13. 2. & 18. 20. Item 6. 19. & 19. 5. 9. Item 13. 11. & 20. 21. 23. Item 20. 10. 23. Item 21. 9. & 25. 24. & 19. 24. & 26. 15. q Vide Notas ad Præfat. Prov. in priori volumine Operum S. Hieron. nov. Edit. r Anast. Nicæan. quæst. 39. in Script. Vide in cap. 25. 1. Cornel. à Lapid. Tostat. in 3. Reg. cap. 4. quæst. 8. Vatabl. in cap. 24. 23. Proverb. Et Salazar in cap. 21. 17.

s Vide Bayn. in Prov. 25. 1. & Talmudic. apud Mercer. Præfat. in Prov. t Vide Bayn. bi. Cornel. à Lap.

u Zernach David p. 33. Seider Olam Rabba. 15.

ficio viro restituit. S. Hieronymus in Ezech. 43. luculenter asserit, Salomonem post commissum crimen Proverbia sua distasse; sed verosimilius credimus, tunc potissimum ad Proverbia se applicasse Salomonem, cum in maximo esset sapientie calmine; sapientie, inquam, cujus præ cæteris omnibus universi Orbis Regibus summa fuit viro laus. Proverbia sua laudat ille in Ecclesiaste (x); unde facilis conjectura, Proverbia illa Ecclesiastem præcessisse. Carmine scriptum esse Opus S. Hieronymus (y) asseruit, id fortè significans, vel carmina illa nullis fuisse legimus adstricta, vel stylum referre poeticum, quemadmodum veterum Philosophorum sententiæ omnes (z).

De auctoritate ejus Libri ambigit nemo; unus apud Veteres Theodorus Mopliustenus (a) ambigendum illo de suscipiens contendit, scriptum à Salomone Opus, naturalium tantum sapientiâ instructo; neque enim divinum accedere lumen debuit viro usque ad eò naturalibus ingenii dotibus ornato. Hanc opinionem instauravit Author in Specimine opinionum Theologorum quorundam Hollandorum de inspiratione Sacrorum Librorum. Sed de parsimonia illorum, nihil ad Deum; & Ecclesia, quam Divinus Spiritus instruit pariter & moderatur, Proverbiorum Librum incensum Sacrorum nunquam non habuit. Laudarunt illum, nec infrequenter, Scriptores sacri N. T. (b); quare uti auctoritatem hujus Libri in dubium revocemus, nihil est.

Versio Proverbiorum sive à Septuaginta adornata, vel saltem sub eorum nomine vulgata, laudata ab Apostolis vetustissimique Patribus, ab originali frequentissimè discrepat; continet enim plures sententias frustra quidem in Hebræo quaerendas, sed in libro Ecclesiastici, saltem ex illis quædam, recurrentes. Versiones Syriacæ, & Arabicæ, & quod singulare est, Paraphrasis Chaldaica nonnullis in locis è Græco expressa videtur. In Textu Romanæ Editionis transposita quædam, maximè à cap. 24. 22. quo in loco interfert 14. priores versiculos cap. 30. sequitur dein caput 31. ac cap. 25. & subsequenter ad usque totum 29. versiculum, Librum claudentem. Minoris momenti transposita quædam, sicut & variantia in singulis capitibus, quod crebriora sint, prætermitto. Quid earum rerum fuerit in causa, non facile est divinare. Viri quidam docti (c) suspicantur, plures olim obtinuisse variorum temporum & Authorum non satis uniformes inter se collectiones: cum igitur aliæ alium tenerent ordinem, inde varia pariter series capitum, dogmatum, axiomatum, & sententiarum. Cave tamen hæc de Originali, quod nonquam variavit, sed tantum de Græca Versione credas. Authores Hellenicæ primi omnium hæc facile invexerunt; nec abs re suspicamur, Interpretem ad usum privatum scribentem, quid sibi maximè liberet, hoc in Opere adornando secutum. Sed hæc incerta.

Præter tria hæc Opera, Proverbia, Ecclesi-

x Eccl. 12. 9. Compositus Parabolæ multas. y Præfat. in Isai.

z Laert. lib. 1. in Adomena Vide not. Casaub. a Vide Concil. CP. IV. Collat. 4. art. 63.

b Vide Hebr. 12. 5. 6. Canis reversus ad vomitum. Ex Proverb. 26. 11. Jacob. 4. 6. Humilibus dat gratiam. Ex Proverb. 3. 34. Apoc. 19. 3. Ego quos amo, corrigo & castigo. Ex Proverb. 3. 12.

c Grot. in cap. 15. 23. & Bosquet Præfat. in Prov. pag. 16.